

Pertineat igitur ad nos cura, ad oves oboedientia, ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis.<sup>181</sup> Haec Augustinus. Tertio, quod autem dominus singulariter cum Petro contulerit idem Augustinus causam adducit, quam negotii circumstantia non obscure prae se ferre videtur. „Compellat“, inquit  
 5 in lib. sermonum de tempore, serm. 149, tomo 10, „dominus apostolum Petrum illum praesumptorem et negatorem, cum loqueretur iam viuis morte deuicta et dicebat: ‚Simon Ioannis, amas me?‘“<sup>182</sup> q. d. Petris horribiliter ceciderat, quum dominum ter negauerat. Ideo non semel interrogat eum seorsim, non bis, sed ter, ut non negaret suum dominum sicut antea, sed firmus  
 10 ac constans permaneret in periculis, quibus exponeretur et de corpore et de vita periclitaretur. [117:] Ex his paucis nemo est, qui non videt locum Ioannis falso detortum esse ad papisticum diui Petri primatum, quem nunquam tenuit neque tenendi mandatum accepit.

II. Alteram quoque positionem de successione veritas ferre non potest. Nam  
 15 1.) „Christus, ascendens in coelum, alios dedit apostolos“<sup>183</sup> etc. Non solum Petrum dedit nec ad certum aliquem locum alligauit apostolos, ut vel solus haberet successores, magis quam Iacobus, Ioannes et reliqui apostoli vel Romae perduraret illa successio magis quam in aliis locis, in quibus ecclesia Christi dispersa est per totum orbem terrarum. Nam soli Petro concedere  
 20 successionem ordinariam in ministerio verbi, quid aliud esset, quam auctoritatem et Pauli et aliorum apostolorum abolere? Cum tamen constet reliquos apostolos non fuisse sub Petro nec Paulum inferiorem Petro fuisse, qui et Paulo restitit in os, cum esset reprehensibilis, Gal. II,<sup>184</sup> et 1. Cor. I Corinthios obiurgat ut carnales, quod hic se Pauli ille se Caephae id est Petri dixerit,  
 25 cum omnes deberent Christi esse.<sup>185</sup> 2.) Praeterea Petrus, Paulus et alii apostoli non fuerunt episcopi nec summi vel sacerdotes vel pontifices, ut liber Petrum et pontifices vocat,<sup>186</sup> sicut euangelistae Annam et Caipham,<sup>187</sup> sed apostoli fuerunt et in singulis ciuitatibus, ubi verbum Dei praedi-[118:]cauerant, episcopos constituerunt, sicut Paulus Timotheum apud Ephesios<sup>188</sup> et  
 30 Titum in Creta.<sup>189</sup> Sic et Petrus fuit plurimarum ecclesiarum apostolus con-

<sup>181</sup> Augustin, Sermo CXLVI, 1, in: PL 38, 796. Die Zählung der Sermonen folgt der zeitgenössischen Baseler Ausgabe des Erasmus von Rotterdam: DECIMVS TOMVS OPERVM DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPponensis episcopi, continens reliqua tractata apud populum, quorum summam indicabit haec pagina uersa, Basel 1529 (VD 16 A 4148), 157.

<sup>182</sup> Augustin, Sermo XXLIII, 1, in: PL 38, 1179 (SC 116, 326,5–8) Die Zählung der Sermonen folgt der zeitgenössischen Baseler Ausgabe des Erasmus von Rotterdam: DECIMVS TOMVS OPERVM DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPponensis episcopi, continens reliqua tractata apud populum, quorum summam indicabit haec pagina uersa, Basel 1529 (VD 16 A 4148), 666.

<sup>183</sup> Vgl. Eph 4,10f.

<sup>184</sup> Vgl. Gal 2,11.

<sup>185</sup> Vgl. I Kor 1,11–13.

<sup>186</sup> Vgl. Augsburger Interim XIII, 73.

<sup>187</sup> Vgl. Lk 3,2.

<sup>188</sup> Vgl. I Tim 1,3.

<sup>189</sup> Vgl. Tit 1,5.